



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni**

**Pedro <de los Angeles>**

**Coloniæ Agrippinæ, 1681**

Sectio I. De diversitate Religionum communicantium in Privilegiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

cum reverentia, ex majori approbatione recipiantur, & observentur, veluti approbationes, & confirmationes Doctrinæ sanctorum Augustini, Thomæ, Bonaventuræ à pluribus Pontificibus factæ, quæ non dederunt tali doctrinæ vim legis, sed eam approbando, & confirmando magis acceptabilem Ecclesiæ Dei reddiderunt: Hæc ille, quæ si intelligantur de confirmatione in forma communi, verissima censeo; secus si de confirmatione in forma speciali. Illa enim nihil aliud est, quàm quædam approbatio: Ista verò facit proprium confirmantis id quod confirmat, & dat vim legis, ut docent Doctores. Quare pro praxi attendendus est modus con-

firmantis juxta regulas à Doctoribus traditas, à quibus hic abstineo, quia propriam sedem habent.

12. Concludit prædictus Author, & 46.  
benè, dicendo, quod licet declarationes, seu decreta Eminentissimorum Cardinalium sint authentica juxta regulas traditas, & sint etiam sufficienter promulgata, si non habeant clausulam derogatoriam privilegiorum (quam ferè nunquam solent habere) non nocent privilegiatis, etiam si à Papa quomolibet sint confirmata, alioquin majoris essent roboris, quàm ipsæ Bullæ Pontificiæ: siquidem istæ illam requirunt ad privilegia revocanda; sed de hoc latius redibit sermo, *sect. de revocat. privileg.*

## DISPUTATIO SECUNDA.

*De Communicatione Privilegiorum inter Regulares.*

### SECTIO I.

*De diversitate Religionum communicantium in Privilegijs.*

47. 1. **I**nter Religiones approbatas à Sede Apostolica, aliæ dicuntur *Mendicantes*, aliæ *non Mendicantes*. *Mendicantes* dicuntur illæ, quæ vel ex propria Regula, vel ex propriis Constitutionibus nequeunt possidere bona stabilia, seu immobilia etiam in communi; puta, prædia, possessiones, annuos redditus, sed ex elemosynis sibi datis à Fidelibus vivunt; Concilium vero Tridentinum *sess. 25. cap. 4.* pro omnibus Religionibus dispensavit in hoc (exceptis Cappucinis, & Minoribus de observantia) non ta-

men per hanc dispensationem tollitur, quin sint, & dicantur *Mendicantes*, si ex Regula, vel ex Constitutionibus illam paupertatem retineant, ut benè advertit noster Lezana *cap. 1. num. 1.* & expressè declaravit Pius V. die 3. Octobris anno 1567. in proprio motu incipiente: *Romanus Pontifex*, apud Rodriguez Bulla 19. seu 22. apud Cherubinum Bulla 44. apud Peyrinum Bulla 4. in Confess. post Bullam *Clementis VIII.* Hujusmodi Religiones Mendicantes intendunt, & propriæ, & proximorum salutis, medio exemplo, doctrina, & aliis pietatis officiis.

Inter has autem primum locum tenent quatuor antiquiores; videlicet, *Dominicana, Franciscana, Augustiniana,* & no-

& nostra *Carmelitana*, quarum in jure non semel fit mentio; illaque magnis laudibus extollunt Romani Pontifices. Quibus postea ex privilegio (ait Lezana *ibidem*) adjunctæ sunt aliæ videlicet *Servorum B. MARIÆ* à Pio V. Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex*. Postea, *Minimi* ex ipso Pio V. Const. *Apostolica Sedis*, sub data 9. Novembris 1567. *Iesuati* Congregationis S. Hieronymi, ex ipso Pio V. Bulla incipiente: *Romanus*, 19. Novembris 1567. *Societas IESV* ejusdem Pij V. Const. *Dudum inde fessè*. 7. Julij 1571, sed post hæc nostris temporibus, alias coadunarunt *Paulus V.* & *Gregorius XV.* videlicet *Regularium Scholæ piæ*, teste Laërtio Cherubino Tom. 4. in Bull. *Romano*, Bulla incipiente: *Ad uberes fructus*, eisque communicantur omnia privilegia Mendicantium. Et ipse *Paulus V.* Bulla incipiente: *Ecclesia Catholica*, die 15. Decembris 1609. Reformationem *Discalceatorum Ordinis Sanctissimæ Trinitatis* inter Mendicantes adscripsit, eisque communicavit omnia privilegia Mendicantium; non secus ac si ipsis essent concessa.

Sed hic non possum non mirari, quod Bruno Challaing, in suo opere de *privileg. Regular. Tract. 1. cap. 3. proposit. 1. circa finem*: Ubi postquam quatuor Ordines Mendicantes antiquiores enumeravit, concludat superaddendo nostram *Carmelitarum Discalceatorum Familiam* ex Const. *Clem. VIII.* incipiente: *Romanus Pontifex*, sub die 20. Augusti anni 1603. ubi ut vides aperte distinguit hanc nostram *Carmelitarum Discalceatorum Reformationem* à *Carmelitano ordine antiquiori*. In qua re, nescio quid dicam, nisi quod non legerit

forte tenorem Constitutionis *Clem. VIII.* nam ibi expressè declarat Pontifex nostram Reformationem esse ipsissimam, antiquam, & primitivam Religionem *Carmelitarum*; & contradicentes anathematizat, declarando ei competere ac gaudere omnibus privilegijs, favoribus, gratis, quomodolibet tam principaliter, quam per communicationem concessis *Ordini Carmelitarum antiquo*; accipe verba Pontificis: *Quo circa motu proprio, & ex certa scientia, nostraque de plenitudine potestatis, Ordinem, & Congregationem dilectorum filiorum Reformatorem Discalceatorum Ordinis Beatissima Virginis MARIÆ de Monte Carmelo, unum esse ex quatuor Mendicantibus (nota verba) Ordinem scilicet Carmelitarum, cujus Religiosi strictius Regulam, à bona memoria Alberti Patriarchæ Ierosolymitani, habitantibus in Monte Carmelo traditam; & à felicis recordationis INNOCENTIO Papa IV. prædecessore nostro confirmatam, profitentur, & observant; ipsique omnia ad prædictum ordinem, tam pro jure quàm ex privilegio, accinentia, tamquam propria competere, autoritate Apostolicâ, tenore præsentium declaramus. Cui declarationi nostræ, si aliquis contradicere præsumpserit, illum anathematis vinculo innotamus.*

Et licet dicti Religiosi (ut accepimus) *Evangelica humilitatis amulatores, consilium Dominicum sectantes infimum locum, tam in Processionibus, quàm Congregationibus, & alijs quibuscumque eventibus, elegerint, & eligant. Nos tamen qui Domini vices gerentes in terris, omnium jura tueri tenemur: ipsos nullo modo, decursu temporis, vel alio præscriptionis modo,*

do, locum, & præminentiam, aut aliam prerogativam, Ordini Carmelitarum competentem, perdere in toto, nec in parte, neque unquam in dubium revocari; ita ut quoties, qua per humilitatem præmittunt, ab iustitia ordinem repetere voluerint, propria auctoritate possint, & valeant; auctoritate, & tenore perpetuo, statuimus, volumus, & ordinamus, &c. Hæc Clemens VIII. in Bulla relata, quæ habetur in nostro Compendio, inter Bullas hujus Pontificis 8. in ordine, fol. 218. quæ omnia postea confirmavit, amplavit, & innovavit Paulus V. Bulla, quæ incipit: *Ex inuncto*, die 24. Septembris 1605. & habetur in nostro Compendio fol. 238. Non ergo nostra Reformatio aggregata est quatuor Religionibus antiquis Mendicantibus, ut ait Casalingh, sed est una ex ipsis quatuor, videlicet ipsa antiqua Carmelitana, sed jam ad intentum redeamus.

48. 2. Dico primò: Omnes decem præfata Religiones Mendicantes, adeo strictè communicant in privilegiis, ac si unicuique, omnia aliarum specialiter, & nominatim essent concessa: ita ut omne id, quod potest Generalis, v.g. in Ordine Prædicatorum, seu Minorum, id ipsum potest quilibet Generalis dictarum Religionum, & proportione servata, idem dicendum est de Provincialibus, Prioribus, Vicarijs, & alijs, quibus iurisdictionio Prælatorum competit. Item privilegia concessa Ecclesijs, Domibus, & Religiosis unius Ordinis, participant, & aliæ similiter, & concessa pro festivitatis unius Ordinis respectivè, intelliguntur festivitatis alterius convenire, sive sint indulgentiæ, sive quid simile; attende Bullam Iulij II. pro decisione

controverſiæ inter Dominicanos, & Minoritas circa intelligentiam communicationum privilegiorum inter fer-  
Venerabilibus fratribus, Salmantino, Pacen. & Corduben. Episcopis, & eorum cuilibet: IULIUS II. Venerabiles Fratres salutem, & Apostolicam benedictionem.

Alias ad supplicationem charissimi in Christo filij nostri Ferdinandi Regis, & infra: Quodque in prædicta privilegiorum, gratiarum, & indulgentiarum Prælatorum communicatione; tam universaliter per prædecesores nostros toti Ordini Minorum, quam etiam per nos particulariter, prædictorum Regnorum Fratribus facta, eaque, quæ ad absolutionem, dispensationem, vel aliàs, ad Priorem Generalem, seu Magistrum Ordinis Prædicatorum spectant, ad Ministrum, vel Vicarium Generalem Fratrum Minorum pertineant, & ea, quæ ad Priores Conventuales, idest, Prælatos singularum domorum Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarios, similiter spectant ad Guardianos, & eorum Vicarios Ordinis Minorum, & ea, quæ ad Priores, seu Vicarios, vel superiores Provinciales, idest, Prælatos, qui medijs sunt, quocumque nomine censeantur, & vocentur inter dictum Generalem, seu Magistrum Ordinis, & Priores Conventuales, eorumque Vicarios; simili modo spectant ad Ministros, & Vicarios Provinciales, ac Custodes, qui etiam medijs sunt inter Ministrum, & vicarium Generalem, & Guardianos, eorumque Vicarios, similiter pertineant, & sicut de potestate Prælatorum, scilicet de Prælatu ad Prælatos dictum est, ita de Congregationibus unius ad Congregationes alterius Ordinis, & de Fratribus privatis, idest sine prælatura ad Fratres privatos, & de festivitatis ad festivitatis

res; in hiis casibus, in quibus, Congregationibus, vel Fratribus privatis, ac festivitibus alterius Ordinis nunc, & pro tempore respectivè, concessa intelligantur.

Itaque ea, quae in honorem Sanctorum, Dominici, Petri Martyrù, Thome de Aquino, Catharinae de Senis Fratrum, vel locis Praedicatorum, sunt concessa, omnia illa Fratribus Minoribus praesatis, eorumque locis in festivitibus Sanctorum, Francisci, Antonij, Ludovici, Bernardini, Bonaventurae, quinque Martyrum dicti Ordinis, qui ad Marrochium Martyrij Coronam adepti sunt, & Sanctae Clarae, & in alijs festivitibus dicti Ordinis Minorum, licet sint in majori numero, quam festa ipsorum Fratrum Praedicatorum; sint, & intelligantur concessa. Ad tollendam quancumque hesitationem, & inde forte ortum scrupulum, auctoritate, & tenore praesatis declaramus. Datum Roma apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 1. Junij 1509. Pontificatus nostri anno sexto. Quod privilegium per extensum refert Passarelus à Monopoli in privileg. Ordinis Minorum, fol. mihi 99. & Rodriguez. Tom. 1. quast. Regularium; q. 55. art. 2. Sed haec cum modio salis intelligenda sunt, ut ex dicendis constabit. Haec prima conclusio adeò certa est, ut probatione non indigeat; cum passim inveniatur apud Authores, qui de privilegij Regularium scribunt. Sufficiat unus pro mille, piissimus, & doctissimus noster Lezana ad S. 52. *Mari magni Praedicatorum*, num. 166. ubi ait: Quod communicatio privilegiorum Mendicantium inter se, est quasi nova concessio illorum, ei Religioni cui communicantur, talis, qualis esset si ipsi nominatim expressè concessa forent, &

probat ex Bulla Leonis X. incipiente *Dudum*, & habetur 1. Tom. Bullar. Cherub. Const. 32. & ex varijs decisionibus Sacrae Rotae, novis, & antiquis. Addam pro majori luce aliqua privilegia, ex quibus sufficienter veritas innosceret.

3 Pro Dominicanis extat privilegium expressum Iulij II. Datum Romae die 1. Junij anno 1509. Quod referunt ad litteram Rodrig. Tom. 1. quastion. q. 55. art. 2. Passarelus in privileg. Ord. Minor. fol. mihi 99. Donat. Tom. 1. tract. 7. q. 2. Sed quia hoc privilegium solum includit communicationem cum Franciscanis & è contra: Leo X. concessit ipsis Dominicanis latissimum privilegium communicationis Minoritarum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Servorum S. MARIAE, & Minimorum; non secus, ac si omnia in specie ipsis concessa fuissent; & loquitur expressè de omnibus gratiis, favoribus, indulgentiis, praerogativis, & exemptionibus quibuscumque quomodolibet concessis; & hoc ex motu proprio, & ex certa scientia, & plenitudine potestatis, & non solum de concessis; sed etiam de concedendis, quibuscumque temporibus; refert per extensum hanc Bullam P. Donatus q. 4. & habetur in Bullario Dominicanorum, fol. 185. à tergo litt. D. vidi ad litteram hoc privilegium, & revera latissimum est.

4. Fratribus Minoribus idem privilegium concessit Clemens VII. ut latè probat Rodrig. Tom. 1. quastion. q. 55. art. 7. Miranda Tom. 2. q. 46. art. 2. concl. 1. Casarub. Sorbus, & alij communiter, & respectu omnium Mendicantium inter se, idem concessit expressè Leo X. Const. *Dudum per nos*, apud Confectium fol.

160. & loquuntur de concessis, & concedendis, Laertius Cherubinus in Bullar. Tom. 3. fol. 524. & est in ordine 32. Const. hujus Pontificis, videlicet Leonis X. cujus verba sunt hæc. *Dudum per nos accepto, quod Romani Pontifices prædecessores nostri, aliqui ad Minorum, alij verò ad Eremitarum S. Augustini, alij ad B. Mariæ de Monte Carmelo, reliqui ad Prædicatorum Ordines Fratres, & domos juxta ipsorum vota devotionis affectum gerentes, illorum singulis, nonnullas gratias, concessionis, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitatis, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, ac dona, tam spiritualia, quam temporalia, per diversas ipsorum litteras respectivè concesserunt.*

Nos ad singulos Ordines prædictos singulasque ipsorum Ordinum Domos, ubi Religiosè vivitur, indifferenter absque acceptione personarum, devotionis affectum aqua lance gerentes, omnes, & singulas gratias, concessionis, indulgentias, peccatorum remissiones, prærogativas, favores, immunitates, exemptiones, facultates, privilegia, indulta, tam spiritualia, quam temporalia qualiacumque illa essent, quæ Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum, servorum B. Mariæ, ac Minorum Fratrum in domibus, & illorum Ecclesiis, Oratoris, ac Ecclesiis ipsas, & Oratoria pro tempore visitantibus, cujuscumque status, aut sexus existerent, seu pro eorum manutentione, & ornatu, contribuentibus; nec non domibus, & præsentibus non solum Generalibus, & Provincialibus Fratribusque, & Sororibus, nec non Monialibus, & Conversis, oblati, ac utriusque sexus personis de penitentia, seu tertij habitus nuncupatis à

dictis prædecessoribus, aut à nobis, ipsi quoque successoribus, aut alias auctoritatem habentibus, conjunctim, vel divisim, in genere, vel in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur, illa, & omnia singula, ac nominatim exprimerentur, pro sufficienter expressis, tunc habentes singulis Ordinibus prædictis, illorumque singulis Ecclesiis, Oratorijs, & Ecclesiis, ac Oratoria visitantibus cujuscumque status, aut sexus existerent, si pro eorum manutentione, & ornatu contribuentibus, nec non domibus, & Conventualibus fratribus; & etiam sororibus, vel Monialibus, conversis quoque oblati, ac utriusque sexus personis de penitentia nuncupatis; & aliis singulorum Ordinum prædictorum, motu proprio, & ex mera nostra scientia, & liberalitate de Apostolica auctoritatis plenitudine communicamus, illaque omnia, & singula, inter dictorum Ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis litteris prædictis plenius continetur.

Et ne immoremur in re adeo certa, & clara; adducam præter relatas, concessionis nobis Carmelitis factas à Clemente VII. in Bulla, quæ incipit: *Ex Clementi anno 1530.* ubi concedit nobis omnia privilegia concessa, & concedenda quibuscumque Ordinibus; idem concessit Clemens VIII. specialiter nobis, Carmelitis Discalceatis Bulla, quæ incipit: *Cum dum,* sub data 5. Junij anno 1595. accipe verba: *Nec non prædicta, & omnia videlicet privilegia, indulta, immunitates, exemptiones, indulgentias, & gratias, & alia quacumque dicti, & aliorum Ordinum etiam Mendicantium, Fratrum, personis, & bonis, etiam Confraternitatibus, & alijs pjs locis, vel alijs quomodam-*

modolibet prafatis Ordinibus, domibus, & eorum bonis, concessa, & concedenda prædictis Fratribus Discalceatis Ordinis B. MARIÆ de Monte Carmelo, domibus, & eorum bonis, eadem omnino, similitque modo competere verè, & propriè, ac si eisdem specialiter concessa essent, præsentibus pro expressu, ac si de verbo ad verbum inserebantur haberi volentes: Decernimus, & statuimus, & si opus est, eadem nunc concedimus, & impertimur. Habetur hæc magna concessio in nostro Bullario fol. 184. quæ omnia prius concesserat Sixtus IV. pro nostro Ordine Bulla 37. & 38. Idem habent Augustiniani per Alexandrum VI. & qualibet Religio Mendicantium, ex enumeratis, ut constat ex eorum Compendiis.

51. 5. Dico secundo, Religiones Mendicantes enumeratæ participant, etiam omnia, & singula privilegia non Mendicantium, Monachorum, Congregationum, Confraternitatum, & aliorum piorum locorum; non secus, ac si cuilibet Ordini Mendicanti omnia in specie, & nominatim concessa essent, & idem est de confirmationibus, & innovationibus privilegiorum, juxta dicenda infra disp. 7. sect. 8. Quod adeo certum est apud omnes, ut supervacaneum esset tot privilegia id concedentia, recensere.

52. 6. Dico tertio: Moniales Ordinum Mendicantium; in quibus sunt capaces, gaudent, & participant omnia privilegia Fratrum, ac ipsi Fratres, sicut, & ipsi Fratres communicant omnia privilegia concessa pro Monialibus. Nec placet limitatio adducta à Portel. p. 2. cas. 14. num. 2. dicente hoc solum esse verum de Monialibus, subditis Fratribus, non verò de Monialibus subditis, sive im-

mediatè Summo Pontifici, sive Episcopis; citat Compend. privilegior. verb. Communicatio privileg. & verb. Monialiu, Rodrig. Tom. 3. quest. 73. art. 1. adjungit conjecturam ex eo, quod Fratres non petunt privilegia, nisi pro monialibus subditis ipsi Religioni: Ergo extendenda non sunt ad non subditas; sed his non obstantibus dicendum est, quod sive sint subditæ Religioni, sive Episcopis, sive Romano Pontifici, gaudere supra dictis privilegijs. Clem. VII. id concessit pro Monialibus S. Augustini, & similiter Bonifacius VIII. pro Carmelitis, Nicolaus V. & Sixtus IV. ut in nostro Maremagno. Sixtus IV. pro Dominicanis, & Franciscanis, similiter Leo X. Clem. VII. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII. & licet verum sit, quod in aliquibus privilegijs Ordinum, loquendo de monialibus, apponantur hæc verba; *Moniales sub obedientia Ordinis vestri, & similia.* Tamen prædictæ clausulæ solum demonstrant nomen instituti Ordinis, seu Religionis, sub qua profitentur, & vivunt; & consequenter quamdiu vivunt sub illo instituto, & Ordine; tamdiu gaudent illius privilegijs; neque per exemptionem à superioribus, regularibus, vel subjectionem Episcopis factam, Moniales desinunt esse sub instituto, & obedientia Regulæ: Privilegia autem eis conceduntur propter earum merita, circa observantiam talis Ordinis: Ergo etiam si eis concedantur ad instantiam Superiorum Ordinis, privilegijs gaudebunt, & propter eandem rationem Religiosi gaudent privilegijs Monialium, etiam si eis non subdantur, ut notat Bord. Resol. 55. quest. 58. n. 319.

7. Addo, quod multa alia privilegia, 53.  
non

non continent dictas clausulas, sed absolute eis concedunt privilegia, sicut Fratribus; ita concessit Iulius III. Monialibus Dominicanis, in Bull. communicat. privilegiorum omnium Ordinum Mendicantium, & non Mendicantium, quam refert ad litteram Donatus Tract. 7. quast. 5. & alij Pontifices pro aliis Ordinibus idem concesserunt; ut passim reperitur in eorum Bullis apud Cherub. & Rodrig. Accipe unam, quia peculiariter, Pauli V. incipientem *Qua regulares personas*, die 10. Octobris, anno 1606. expeditam, occasione dubitationis inter Religiosos Ordinis Cisterciensis MARIE Fulienfis. Dubitabant ergo, an Monialibus sui Ordinis minime nominatis in concessione privilegiorum sui Ordinis, ipsa privilegia prodesse? Propositum fuit dubium Sanctissimo, & per dictam Bullam respondit: *Motu proprio, & de Apostolica potestate plenitudine, ac certa scientia: Harum serie declaramus tam in dicti Clemenfis, quam in alijs hujus Congregationis privilegijs, comprehendendi, & comprehensas esse, Abbatissas, Priorissas, & alias quascumque Moniales, qua gerunt, & in futurum gerent, habitum dictae Congregationis;* ecce expressam mentem Pontificis: & licet dictae Moniales non subderentur illis Religiosis; Pontifex solum respexit generatim habitus, & professionem illius Religionis, ut ex verbis illius clarè constat; & ni fallor, non leviter insinuavit, hanc fuisse mentem Pontificum, Paulus V. anno 1606. revocando omnes indulgentias pro Regularibus concessas, nam cum accedit ad alias, quas denuo concedit loco revocatarum, sic concludit: *Volimus autem, ut supradictae omnes in-*

*dulgentia, & gratia Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis, tam Monastici, quam Mendicantis, dumtaxat, ut praefertur concessa, etiam omnibus Monialibus cujusvis regulae approbatae, & intra claustra cum tribus votis solemnibus viventibus, & perpetuam clausuram conservantibus; tam ordinarijs locorum, quam etiam Regularibus cujuscumque Ordinis regulae, & instituti subjectis suffragentur.*

Ecce qualiter Pontifex omnes Moniales aequat in favoribus noviter concessis, ex eo quod omnes aequaliter sentiebat laesas in revocatione; igitur ut certum tenendum est Moniales gaudere privilegijis relatis, & communicationibus aliarum Religionum; ita Tamburin. & Bordon. ex professo Tom. 1. resol. 52. q. 24. & addit Pelizar. Tom. 2. tract. 8. sect. 4. cap. 1. quast. 13. num. 74. quod quando Religiosis conceditur aliquod privilegium per Praelatos Regulares expediendum; ut dispensandi, vel absolvendi: Tunc loquendo de Monialibus immediate subjectis Episcopis, ab Episcopo possunt dispensari, quia cum ex una parte gaudeant privilegijs sui Ordinis, & ex alia Episcopus succedat loco Praelatorum Regularium, ab ipso possunt recipere beneficium privilegij. Sed notat Bordon. quod Moniales solum in favorabilibus gaudent privilegijis Religiosorum, non autem in odiosis, sicut Religiosi solum participant privilegia Monialium in favorabilibus.

8. Dico quarto, Hodie ferè omnes Religiones non Mendicantes, & etiam Monachales, ut docent Portel. Rodrig. & alij communiter, participant omnia privilegia Mendicantium, ac per consequens, non Mendicantium, & piorum locorum,



locorum, ac si essent Mendicantes. Sed quia hoc nullo meliori modo probari potest, quam singularum privilegia referendo; accipe summam ex Rodrig. Joan. de la Cruz, Basso, & P. Brunone supra relato seriem Religionum, & concessionum.

9. Congregatio Monachorum Casinensium, seu S. Justinæ de Padua, habent dictum Privilegium communicationis à Julio II. Constit. 1. in Bullario magno Romano.

10. Congregatio Benedictinorum habet ab Eugenio IV. Bulla 7. à Sixto V. & Gregor. XIII. Bulla incipiente: *Aequum reputamus.*

11. Congregatio S. Mauri Ordinis Benedictini habet ab Urbano VIII. Bulla incipiente: *In super eminenti.*

12. Congregatio Monachorum Vallis Umbrosæ, ex Bulla Pij V. incipiente: *Ex suprema dispositione.*

13. Monachi Camaldulenses à Gregor. XIII. Bull. incipiente: *Ex injuncto nobis*, 24. Septembris 1591.

14. Monachi Cistercienses Congregationis S. Bernardi in Italia Regularis Observantiæ, ex Greg. XIV. Bull. incipiente: *Romanus Pontifex*, 28. Junij. 1592.

15. Monachi Cistercienses Congregationis Fulienfis ex Sixto V. Bulla incipiente: *Super specula*, Idibus Novembris 1587. Et ex Paulo V. Bulla *Divina disponente*, 5. idus Julij 1606. & in alia incipiente: *In super eminenti*, 21. Novembr. 1607.

16. Monachi Caestini, ex Constitutione Urbani VIII. incipiente, *Sacro sancti* 14 Augusti 1624.

17. Monachi Silvestrini, ex Consti-

tutione Pauli V. incipiente: *Religiosorum*, 23. Novembris 1616.

18. Monachi Montis Virginis, ex Const. Paul. V. incipiente: *Pastoralis*, 19. Maji 1611.

19. Monachi Sancti Basilij, ex Const. Gregor. XIII incipiente: *Benedictus*. Kalendis Novembris 1579.

20. Carthusiani à Gregor. XV. Bulla incipiente: *Ad uberes* 3. Februarij 1623.

21. PP. Sanctissimæ Trinitatis de Observantia, Provinciarum Castellæ, Legionis, & Granatæ, ex Leon X. & Adriano VI.

22. Patres Discalceati ejusdem Ordinis ex Paulo V. Bulla incipiente, *Ecclesiæ Catholica.*

23. Patres B. MARIAE de Mercede, Redemptionis Captivorum ex Leone X. quorum privilegia amplissima sunt, & confirmata de novo ab Urbano VIII. sed cum clausulis, dummodo sint in usu, & non sint revocata.

24. Regulares nuncupati Fratres S. Spiritus in Saxia à Sixto V. Const. *Exigit* 13. Augusti 1586.

25. Fratres Congregationis S. Hieronymi in Hispania, ex Const. Pij V. incipiente: *Superna dispositionis*, 17. Kalend. Septemb. 1567.

26. Fratres Congregationis S. Petri de Pisis ex Pij V. Const. incipiente, *Religio*, 30. Martij 1571.

27. Fratres Ordinis S. Antonij (ad ditis quibusdam restrictivis clausulis) ex Gregor. XV. mense Julio emanata, & ex alia Const. Urbani VIII. mense Junij 1624.

28. Patres Cruciferi ex Gregor. XIV. Bulla incipiente, *Romanus Pontifex*, 12. Julij 1591.

29. Con-

29. Congregatio Canoniorum Regularium Lateranenſ. ex Pij V. conſt. incipiente *Ex ſuprema diſpoſitionis arbitrio*, Kalendis Septembris 1567.

30. Congregatio Canoniorum Regularium S. Crucis Conimbricenſis, ex eadem Conſt. Pij V.

31. Congregatio Canoniorum Regularium S. Salvatoris Bononienſis, ex Conſt. Julij II. incipiente, *inter ceteros*.

4. nonas Aprilis 1512.

32. Canonici Regulares S. Gregorij in Alga, ex Pij V. Conſt. incip. *Ex incumbente nobis*. 3. Idus Novembris 1569.

33. Fratres militiæ JESU Chriſti Portugalliæ, reformati ex Pij V. Conſt. ante citata, *ſuperna*.

34. Clerici Regulares Theatini ex Clemente VII. Conſt. incipient. *Dudum pro parte*. 7. Maij 1533.

35. Clerici Regulares Sommaſchini, ex Pauli V. Conſt. incipient: *Ex quo Divina Maieſtas*. 9. Novembris 1607.

36. Clerici Regulares Minores ex Gregorij XV. Conſt. incipiente, *Romanus Pontifex*, 18. Februarij 1591.

37. Ordo S. Antonij ex præcedenti Conſtit.

55. 38. Clerici Miniſtrantes infirmis ex Gregor. XV. Bulla incipiente: *Illius qui pro gregis*. 11. Kalendas Octobris 1591. Omnes iſti participant privilegia Mendicantium, & conſequenter non Mendicantium. Nam ſi Mendicantes participant, ac ſi eſſent propria privilegia Mendicantium, & non Mendicantium, omnes Religiones, quæ participant privilegia Mendicantium, conſequenter participabunt etiam privilegia non Mendicantium, ſed hoc juxta dicenda diſputatione de communicatione.

39. Præterquam quod plurimæ iſtarum Religionum habeant privilegia expreſſè concedentia communicationem cum Mendicantibus, & cum non Mendicantibus. Nam Benedictini habent ab Eugenio IV. Caſſinenſes, & Ciſterciennes à Gregorio XIV. ubi ſupr. & aliæ multæ. Sed unaquæque Religio debet attendere clauſulas Bullæ ſuæ communicationis, ut juxta reſtrictionem, vel amplitudinem illius, operetur. Hæc dicti Authores abſque contradictione, quæ omnia in præſentiarum placuit referre pro hujus materiæ pleniori notitia.

40. Sed hic nota juxta ſupradicta, quod Moniales, non Mendicantes, pari paſſu participant omnia privilegia, juxta capacitatem ſexus; ſive ſubdantur Prælatiſ Religionis, ſive Episcopis, dum regulam alicujus, ex aſſignatis Religionibus profiteantur, ut probatum manet de Monialibus Mendicantibus.

## SECTIO II.

### De modo communicationis privilegiorum.

Quæ in hac ſeſtione reſolvenda ſunt, adeò neceſſaria ab omnibus judicantur, ut omnimodam diſtinctionem, & claritatem poſtulent. Ideo conſentaneum erit in dubiola ea dividere.

1. Dubitatur primò, an Religioſi Mendicantes, & qui cum illis participant in privilegijs, uti poſſint privilegijs, v.g. Societatis JESU, abſque licentia ſui Generalis, vel Provincialis, & idem erit de ſimilibus? Oritur dubium ex eo, quod Patribus Societatis conceduntur, & communicantur, omnia privilegia, ſub hac limitatione: *Vt hæcenus conſeſſa,*

& in-